xpe quoque ex patribus aequalis corpore, sed diuinitate inconparabili praeminebat.
Igitur sancta ecclesia quae typo mulieris illius euangelicae figuratur, cuius farina nos
sumus, dominum Iesum in interioribus nostrae mentis abscondit, donec animi
nostri secreta penetralia calor sapientiae caelestis obducat. Et quia in matthe
o legimus tribus mensuris absconditum esse fermentum, congruere uisum est ut
dei filium crederemus absconditum in lege, adopertum in prophetis, euangelicis prae
dicationibus adimpletum, ut perfectam fidem nobis adquirat ex omnibus, et se
ipsorum collatione formatus in nobis qui sumus corpus ipsius omnia et in omni
bus impleatur. Ipse enim erat uerbum dei atque mysterium quod absconditum est
a seculis et generationibus, quod nec potest ad expressionem perennitatis eius ante
status dici. Erat enim profecto, nam ita erat ut absconditum esset sacrile
gis, manifestatus in sanctis, praedestinatus ante saecula, seruaretur ad gloriam.
Haec est autem gloria, ut possimus fratres inuestigare mysterium absconditum a seculis
in deo, quod in deo utique et ex deo. Neque enim deus alienae capax potest esse naturae.
Nec sum dubius animi quod aliqui de hoc mundo dictum putent, donec
fermentetur in lege et prophetis et euangelio, ut dominum omnis lingua fateatur.
Itaque discutiamus omnia diligentius requiramus. Nemo inuenit non quaerit an
te quaesierit. Edificemus turrem, conputemus sumptus, scripturarum conferamus im
pensas, ne quis dicat de nobis hic uoluit edificare et non potuit consuma
re. Qui edificat bonum debet iacere fundamentum. Bonum fundamentum
est fides, bonum fundamentum apostolorum et prophetarum. Duobus enim testamentis fi
des nostra consurgit, nec iniuriam facit qui parem dixerit in utroque fidei
esse mensuram, cum ipse dicat dominus: si crederetis moysi, crederetis et mihi,
quia et in moyse dominus est locutus. Bene ergo in utroque perfecta mensura, quia per
fectus in utroque et fides utriusque una, quia unius est uirtutis et sensus oraculum
atque responsum. Me tamen sequi iuuat quod ipse dominus docuit fermentum ecclesiae
spiritale esse doctrinam. Nam cum scriptum sit: cauete a fermento phariseorum.
et cum apostolus dixerit: non in fermento nequitiae et malitiae, ostenditur quia do
ctrina fermentum est. Sed aliud fermentum zizaniae, aliud tritici. Nisi et bonis
auctoribus adquiescimus, ut dicamus quia ecclesia renatum hominem qui est in cor

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 240 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/it/sbe/0166/240)